



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Encomivm Almæ Hospitalitatis Dedicatvm, S. P. Q. C.

[Köln], 1570

VD16 E 1170

urn:nbn:de:hbz:466:1-31500



~~724~~

J 372.



ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

ENCOMIUM ALMÆ HOSPITALI- TATIS DEDICATVM, S. P. Q. C.

MATTH. XXV.
Possidete regnum, hospes fui.

HOMO
DEVS
HOMINI



HOMINI
HOMO
LVPVS

Peregrinis succurrens paria ali-
quando obtinebis.

M. D. LXX.

ELATORVM GRAVIOR LAPSVS
quam humilium.

Iulij Cæsaris sententia prophetica.

At fortuna plerunq; quos beneficijs plurimis ornauit, eos ad duriores
casus reſeruat,

Ex M. Verini diſtichis in eandem ſententiam.

Quo magis eſt abies procera euertitur Euris
Culmina non Valles, fulmina torta petunt.

Quo maior Ciuis, maior ſolet eſſe ruina
Magnaq; liuorem, gloria ſæpe parit.

Quanto maior eris, maiora pericla cauenda
Crede mihi, nullo tempore tutus eris.

Aliena magis quam noſtra vitia cernimus.

Quur aliena magis, quam crimina noſtra uidemus
An quia noſtra procul ſint? Aliena propè?

TAPVS

Nil ſtabile in rebus humanis.

Quum ſtabile hic nil inuenias cur ſtare requiris
Et uideas fluxu cuncta perire ſuo?

De incerto exitu

Quum minimè uelles, truncabit ſtamina Cloto
Nec quicquam extremo certius interitu eſt.

Excusent.

Errorem

Humanitas

Temeritatem

Fauor.

CLARISSIMO. GRAVISSIMO ATQVE HUMANISSIMO

VIRO D. DOMINO CONSTANTINO

à Lyßkirchen huius Almä ciuitatis Coloniensis consuli primario.



CLARISSIME, Grauisime, Doctissime, atque Humanissime Vir, Recepti ab hac inclyta Agrippinarum Colonia Hospitalitatis beneficij nõ immemor A. A. hanc suam opellam qualemcunque tandem, Sacrosancto huic Senatui populoque Co. obnixè offerre decreuit Argumenũ sane ab effectu argumentando eidem Senatui populoque (vt laudatissimum) sic commendatissimum. Supplicat igitur dedicans, vt tuo fultum fauore prodeat, Senatũque salutet. Latebras enim quærere, hoc qualecunque tandem Encomiolon, præsens rerum calamitas non patitur. Albo siquidem calculo notandos putauimus, quibus hæc virtus, maxime cordi esse re ipsa demonstratur. Quod hæc H. V. directa est tribus factum est de causis. Prior edita, Secunda, Consulatus primarij dignitas. Tertia, quod præter genus clarũ doctissimus cum sis, musis omnique rei literariæ libenter fauere, illas firmare & protegere soles. Et quod in humanitate, (quam equidem expertus ma-

A 2. iore

iore cum fide asseroy parem non inuenias. His bene
Vale Co. decus. Negotiolu hoc vt æqui boniq; consulas,
Audacię condones, & me in Clientum tuorum numero
retineas precor & obtestor. Ex libera Agrippinarum
Colonia, Anno à CHRISTO nato. M. D. LXX.
IX. Iulij.

V. H. obsequentissimus

A. A. valetudinis ergo
Coloniae peregrinans.

ENCOMIUM HOSPITALITATIS DEDICATVM S. P. Q. C.



NON ignoratis, Clarissimi, grauiſſimi, doctiſſimi atq; hu-
maniſſimi Viri, Senatus inquam Populusq; Coloniensis
extitiſſe quondam, & adhuc ſuperſeſſe magni nominis
auctores, qui animi cauſa, uel ad ſpecimen ingerij exi-
bendum, res nihili uel omnino abiectas, lenocinio uerbo-
rum, phalarisq; exquisitis ornantes, Nucis, Pulicis. Cu-
culi, Vetulae, Ludi Latrunculorum laudes celebrauerint. Sciunt quoq; inter
ſummae eruditionis uiros quosdam fuiſſe, qui res uituperandas pro laudandis,
exitioſas pro utilibus malas pro bonis, etiam peſſimas pro optimis nobis obtu-
lerint. Et maximo uerborum apparatu hoc egerint, ut paradoxa uifa, uera
minimeq; dubia crederentur rerumq; auctoribus non uulgarem laudem con-
ciliauerint. In conſeſſo enim eſt, magnum illum Eraſmum, moſtae ſuam
ſummis laudibus euexiſſe. Thomam Lineum praecceptorem meum, Aduoca-
tum quondam in Senatu Brabantiae celeberrimum, poſt generoſiſſimo princi-
pi Auriaco. Comiti a Naſſauu a Conſilijs, Encomium belli ſcripſiſſe. Neq;
quemquam ignorare puto, Ciceronem Principem eloquentiae, Senectute multis
nominibus praeter uulgi opinionem (quamquam Senium multis malis
alioquin expoſitum, non careat ſuis beneficijs, luculenter ab eodem Cicerone
enarratis) laudaſſe. Alij denique ex ſe ſatis laudata, Philoſophiam, Iurispru-
dentiam aliaq; quam plurima uel rei utilitate, uel temporis neceſſitate moti
commendarunt. Sed quod nemo haecenus extiterit qui ſpecialiter ſibi ſumpſe-
rit deſcribendam uel enarrandam, ſaltem hoſpitij ſeu hoſpitalitatis, laudem,
maxime his noſtris exulceratis temporibus, in tanta inquam miſeria, tamque
deploranda omnium rerum calamitate (ubi ingens ruina miſeros multos ſe-
cum trahens hoſpitalitatis iura opemque implorare coegit) non poſſum ſatis

E N C O M I V M

admirari. Sed huius rei hæc mihi causa uidetur, quod uel hæc uirtus, ut ceteræ alie nullo encomiaste egeat. Vel quod huius beneficij, apud plerasque nationes, maxime autem Germaniæ Principes, Ciuitatesque Sacri Romani Imperij, tam frequens usus sit & exercitium, Hospitalitatis inquam, ut fortassis rideri possit, qui illam ijs commendet, quasi currenti equo calcar additurus: Tamen quia hic exterus, & tanquam anser inter olores strepens, gratiam huius uirtutis ex perior, & quod laudata uirtus crescere, & immensum gloria calcar habere solet, non potui non grati animi signum aliquod, præclarissimo, eidemque prudendissimo ac humanissimo Senatui Col. edere. Maxime cū hanc nostram qualemcunque opellam ei non ingratam fore putemus, uel hæc solam ob causam, quod in clytus hic Senatus, malit peregrinos rebus suis uel alijs honestis occupationibus, domi priuatimque uacare, quam circa hospitio excipientium negotia undequaque curiosos esse. His inquam Argumentis fretus, nec uestris doctis auribus parcens, nec meam imbecillitatem reuerens prodij. Non ut solent oratores ad declamandum sed ut infimæ doctrinæ homines, ad recitandum ea quæ putant ad propositum Argumentum idonea. Nolite queso P. C. admirari hominonionis huius audaciam, uel temeritatempositius, ob hoc forsitan quod florentissima hæc Academia habeat quã plurimos uiros doctos, qui maiori scientia altiorique iudicio præditi, hoc negotium, elegantius copiosiusque expedire queant. Tamē hoc quodecunq; nostrū studiū æquibonique ut consulatis precor & obtestor, hoc saltem nomine, quod ansam & calcar forte sit præbiturū doctioribus, quo hanc uirtutē inter ceteras uerissimum decus, & quartam Coloniensium Coronam (Coronam cœlestem intelligo de qua Matt. 25. (POSSEDETE REGNUM, HOSPES EVI) cōdignis laudibus, & grauiori stilo, ut mereatur, euehere. Et quod nostris uiribus deest, sua industria supplere non dubitent. Si non opus laudandum saltē animus (ni fallor) non uidetur reprobandus. Cæco enim aliquando permittimus iter monstrare ut bene Flaccus: ut si cæcus iter monstrare uelit, tamen aspicio. Quo itaque uiri ornatissimi, rem quam commēdam suscepimus aggrediar.

Ciceronis

HOSPITALITATIS.

Cicéronis præcepto monitus non inconuenienter, A definitione ipsius rei me id facturum existimo. Sic enim Priscianus Hospitem definit. Cum dicat ideo eum dictum Hospitem, quod ostium nostrum petat, uel quod ore, id est, osculo adueniens nos petat, ut affatim materie Hospitalitatem mihi commendandi tribuat hæc unica definitio, etiamsi præclara tam ueteris quam noui testamenti exempla me deficerent. Sed altius mihi introspectenda uidetur. Dicuntur autem Hospites. Amici diuersarum patriarum qui se mutuo recipiunt, cum alter in alterius patria peregrinus est. Hinc Budeus. HOSPITIVM uel HOSPITALITATEM describens, eam dicit quandam familiarem amicitiam esse, uel mihi hospitandi apud illum, uel illi apud me. Hæc autem uirtus, ab initio etiam creati orbis, quam ab omni mortalium genere culta & obseruata fuerit religiosissime multis rerum Argumentis liquet, in primis notandum uidetur, laudatissimum illud Abrahami exemplum, ob quod unice nobis uidetur commendata Hospitalitas. Cum Moyses Patriarcha tam expresse notet omnia 18. capite Geneleos, ubi refert Abrahamum sedisse, in ostio tabernaculi sui, & oculos eleuasse eique apparuisse tres uiros. Quos cum uidisset Abraham cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & (Scriptura loquitur) in terram pronus adorauit, eosque ita excepit, ita tractauit, non ut ignotos, ut erant, sed quasi notissimos atque charissimos. Aqua allata pedes eorum lauit. Atque ut confortarentur itinere defessi, panis buccellam officiosissime exhibuit, precatusque obtinere, ne ipso neglecto transirent hospitium. Satis uidebatur, ignotis exteris fecisse Vir Sanctissimus, cum iam ipsius opera uia difficultate pressi, recreati essent: Sed cum se gratiam in oculis eorum inuenisse crederet, non illis officiosa illa exceptione, hospitio renunciatum uoluit: quo peregrinantes pergerent ulterius, ut ante ipsis addixerat: Sed panibus coctis uituloque mactato & apposito, liberalissimæ Hospitalitatis officia in illos exercuit. Hoc an irremuneratum reliquerit, quem Abraham hospitem susceperat, non celant sacre literæ. Huic celeberrimo exemplo non absimile refertur, capite sequenti eiusdem Libri Geneleos, de Loth. uiro electissimo,

electissimo Dei amico, cum sederet in foribus Ciuitatis, atq; duos (Angelos, tamen esse ignorans) aduenientes uideret, eosq; simili quo Abraham modo pronus adorauerit: Obsecro inquit Domini declinate in domum pueri uestri, & manete ibi, lauate pedes uestros, & mane proficiscimini in uiam uestram, ipsi autem intrare recusarunt, Ciuilitatis & modestie memores quae maxime peregrino conferre à ueteribus dicta est. Tandem compulsi à Loth ad eum diuenterunt. Hos non solum humaniter, cibo, potuq; tractauit: Sed proprijs filiabus, imo sibi ipsi non parcens, eos à populi Sodomitici iniuria defendit uim atque afflictionem impiorum sustinens, sic ignotos, peregrinos tecto tutus ipse dei beneficentia ac remuneratione à clade ac strage Sodomitarum dirissima exceptus ac liberatus est. Hæc & complura alia Hospitalitatis exempla nobis subministrare potest ueteris testamenti lectio. At quorum sum patres recenseo, uel his in hoc nostro Argumento primum locum tribuo. Nonne & nouum testamentum eandem uirtutem tum Apostolorum præceptis, tum Sanctorum exemplis nobis commendat? Simon leprosus an Christo hospitium ob aliorum Iudæorū ac Phariseorum inuidiam renunciauit? Quae Christo discipulisq; eius intercesserat familiaritas cum hospite illo apud quem Pascha suam manducarunt, quod domum illis habuerit apertissimam? Quid de sororū istarum Mariæ ac Machdalene Hospitalitate dicam, quarū hæc occursum Christum hospitio inuitauit, altera sedulo domestico ministerio Christum benigne excipere conata est? Quo itaque hæc benignitas utriusque celebraretur, uoluerūt Ecclesiæ Christi Antistites, hæc historiā annuis Euāgelij inseri, ut nunquā apud nos Hospitalitatis periret memoria. Paulus etiā electum illud Christi uas, Romanorum nomine, nos omnes Hospitalitatem sectari uoluit, Cum flentibus nos flere docuit. Beatus Petrus sua priori epistola, ubi Christi morte redemptos hortatur, ut pergant præterita deuitare peccata, ac mutue dilectioni incumbant, hortatur inter cætera sedulo, ut Hospitalis sint inuicem, sine murmuratione omnia in Dei honorem referentes. Tandem Deus Optimus Maximus hæc omnia concludens ac confirmans quæ ex ueteri

HOSPITALITATIS.

ueteri & nouo testamento, præclara allata sunt, nos ad hospitalitatem non solum spe uitæ æternæ inuitauit: sed etiam metu æterni supplicij ad hoc officium tum prophetico ore, tum etiam uiua ipsius Christi uoce compulit. Sic etiam Esaiæ c. 18. per os Prophetæ: Esurientibus panem frangendū, uagosq; in domum inducendos, præcepit. Hos si recipias, erumpet quasi mane lumen tuū & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Et Christus Matthei 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim & nõ dedistis mihi cibum. Sitiui & non dedistis mihi potum. Hospes eram & non collegistis me. Et Paulo post obiectioni excusantium sese respondēs ait. Amen dico uobis: Quatenus nõ fecistis uni ex his minimis, nec mihi fecistis. Sed quid de Ethnicis dicemus? Num & his hæc uirtus cõmendata fuit. An non & ipsi (quamuis Deum ignorauerint) homines tamen cum essent, hominū in aduersis miserti sunt? An uero Aerumnosis ærumnã? Calamitosis calamitatem addiderunt? An hoc tritum (nullum malum incomitatum) tritius reddiderunt? Non profecto non, non inquam. Sed è diuerso naturali quodam instinctu moti uolubilisque & inconstantis fortunæ rotam multis nominibus cognitã habentes, officiosissimi extiterunt, in excipiendis, & subleuandis Hospitibus & peregrinis, ut etiã Romani hoc beneficiū non denegauerint Hetruscis, cum quibus recenter admodū in gratiam redierãt. Fuerant enim hostes acerbissimi amici iam reconciliati (quibus non temere omnia confidenda). Primū hoc cum notatu dignum uideatur, placuit ipsa Liuij uerba huc adferre ex lib. 2. Decadis primæ. Prope iã victores Hetrusci cæsi, pars exigua, duce amisso (quia nullum propius refugium erat) Romam inermes, & fortuna, & specie supplicū, delati sunt, ibi benigne excepti, diuisique in Hospitia, Curati uulneribus, Alij profecti domos, Nuncij Hospitaliū beneficiorum, multos Romę Hospitium vrbisque charitas tenuit,

B

hic

his locus ad habitādū datus est, quē deinde Fuscum vicū
 appellarunt. Haecenus Liuius. Cuius uerba si quis bene expendat, non
 dubitabit, ob solam Hospitalitatem, Romanos summe laudare, ceterosq; om-
 nes, qui hac in parte eosdem imitari non dubitauerint. Cicero quoque secun-
 do officiorum, non solum laudandam esse Hospitalitatem ob pietatis offi-
 cium ait: Sed & publice priuatimque utilem esse ad multa affirmat. Proinde
 recte illam à Theophrasto laudatam refert his uerbis. Est, ut mihi vi-
 tur, valde decorum, Patere domos hominum Illustrium
 Illustribus Hospitibus, idque etiam Reipublicę est orna-
 mento, homines externos hoc liberalitatis genere in vr-
 be nostra non egere. Est etiam vehementer utile his, qui
 honeste prodesse multa uolunt, per hospites, apud exter-
 nos populos ualere opibus & gratia. Theophrastus scribit, Cimonem
 Athenis etiā in suos Curiales Laciadas, Hospitalē fuisse. Ita enim dicitur in-
 stituisse & uillicis imperasse, ut omnia præberentur, quicumq; Laciades in
 uillam suam diuertisset. Pythagoras ait, uirum peregrinum iustum, non modo
 ciue sed & cognato maioris habendum. Quod Pythagoræ præceptum, etiam
 Celtarum moribus introductū. Hi enim grauius multo in illum animaduerte-
 runt, qui Peregrinum, quàm qui ciuē occidisset, huic enim exiliū tantū, illi ue-
 ro mortem pœnam statuisse leguntur, ideoque illos in primis honorant, qui
 publicam regionem augent, neque ulli ædium ianuas claudunt, ut Stobæus
 refert ex scriptis Nicolai de moribus gentium. Isocrates in oratione ad Ni-
 coclem, Euageræ filium regem scribēs, quem saluberrimis præceptis instruit,
 ad regnum clementer & foeliciter administrandum hortatur inter cetera ut
 omnibus Hospitibus urbem tutam, & in contractibus æquam exhibeat, tum
 inter aduenas eos maximi faciat, non qui dona aduehant, sed qui ab ipso ex-
 petant. Nā inquit, si his honorem habueris, apud ceteros maiori gloria eris.
 Huius, quod Regem Isocrates docuerat, Dido Regina nō fuit nescia, dum prius
 illum

HOSPITALITATIS.

illum aduenientē Aeneam (probe edocta fortuna tesserā) his uerbis affatur,
 Non ignara mali miseris succurrere disco, indicans apertis-
 sime Hospites & consilio & ope iuuandos. Et è diuerso, quantum sit facinus
 iura Hospitalitatis uiolare, docet nos Princeps poetarū Virgilius, dū Aenei-
 dos tertio eleganter perfidiam Regis Traichij describens, ait illū rupisse
 non solum pacta cum Polidoro foedera, & praeuaricando partes contrarias
 secutum sed etiam Polidoro & Alumno & Hospite suo misere obruncato
 sua rapuisse, cum iam Graecos uideret pugna foeliciores, & Teucrum opes
 fractas, & fortunam illis aduersam: His pulchris uersibus.

Hunc Polidorum auri quondam cum pondere magno,
 Infœlix Priamus, furtim mandarat alendum
 Treichio Regi, cum iam diffideret armis
 Dardania, cingiq; urbem obsidione uideret,
 Ille ut opes fractæ Teucrum & fortuna recessit,
 Res Agamennonias uictriciaq; armæ secutus
 Fas omne abrumpit, Polidorum obruncat, & auro
 Vi potitur, quid non mortalia pectora cogis
 Auri sacra fames?

Vnde non miror P. C. cordi uobis esse, non solum ut Christianis, sed eti-
 am ut Romanis, quorū uos ueras esse Colonias nemo facile negabit, Sacrosan-
 ctā hāc Hospitalitatē. Turpe enim putaretis à Clarissimis uestris Progenito-
 ribus, Ro. nempe, degenerare, & illibatum hunc Hospitalitatis morem, uobis
 per ipsorum quasi manus traditum deserere. Mirabor minus Hospitalitatis
 Almæ exercitiū Ecclesiasticis, sanctæ in quā huius Urbis Colo. & alijs cuius-
 cunq; tandē patriæ status uel ordinis, commēdatissimū esse. Iis inquam Viri
 ornatisimi admonitio Hospitalitatis, de qua hic differimus, fieri nō debet, cū
 hoc officiū tam piū, necessario ijs cordi debere esse, satis abūdeq; demōstrant
 ipsi Canones c. Hospitales c. Quiescamus x. distinct. xlij. in hęc uerba Ho-
 spitem autem Sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum quibus in

E N C O M I V M

iudicio dicitur: Hospes fui, & non suscepistis me. Qui enim Apostolum secutus fuerit, ad Hospitalitatem debet inuitare. Quomodo Hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam Hospitibus claudit? Si enim Sacerdos primum à se ipso, & à domestica sua ecclesia debet exigere, quod postea populis imperet, si primum imitādo Christum, ipse debet facere quæ postea populum doceat, necesse est ut pauperes in Hospitio recipiat, quo ad Hospitalitatem facilius suo exemplo, subditos attrahat: & immediate sequentia subiiciuntur: Ordināndus itaq; Sacerdos ad memoriam reuocet: Quomodo Abraham & Loth, per Hospitalitatis opera Deo placere, & Angelos Hospitio meruerint recipere, quomodo Angeli Sodomis Hospitalitatis domum ingressi, Loth cum familia sua liberauerint. Quomodo clausas domos cum Hospitibus ignis ingressus perdidit, quomodo etiam secundum Hieronymum aliena rapere conuincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur. Ac sic per opera omnia pietatis se instituat, ut etiā præsentis uitæ subsidia, & æternæ claritatis uitæ præmia à Deo percipiat, utrumq; enim pietati promittitur. Vnde Apostolus ad Timotheum scribens ait: Exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis quidem exercitatio, ad modicum utilis est: Pietas autem utilis ad omnia habens promissionem uitæ quæ nūc est & futuræ. Ab hac quisquis alienus fuerit, in Sacerdotem ordinari non poterit, subiiciendo, in Hospitalitate non esse habendum delectum personarum. Sed indifferenter quibuscunq; sufficimus Hospitalis nos exhibere debemus. Quod etiā Iohan. Chrysostomus testatur, in epistolam ad Hebræos his uerbis. Si Abraham scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset, fortassis enim non putasset Angelos, sed quia omnes recipiebat, recepit & Angelos. Non enim ex uita eorum quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus, sed ex uoluntate & honorificentia multa, & misericordia & bonitate, hætenus Canones. Quibus adiungatur, quæ ipsiusmet Christus Luca: 10. de Samaritani humanitate Hospitalitateq; apertissime nobis proponit, hoc studens, ut sedulo propositi exempli uestigia sequamur, assequemur, si totis uiribus

HOSPITALITATI S.

ribus quod dici studemus re ipsa demonstramus, quod carni hac in parte deest spiritus suppleatur. Speculum humanitatis sit huius attendenda lectio. Patres, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Sanctos, ipsummet Christum auditis, & inter Ethnicos, qui Deum ignorauerunt, etiam auditis clarissimos uestros Progenitores Romanos ipsorum Cōsules, Oratores, Philosophos primarios, qui tum uerbo, tum re ipsa, quid uobis in hac parte sequendum sit, plenis buccis & apertis uelis demonstrarunt, ex me præter opulentum uindemiatorem spicās etiam plenissimas multas prætereuntē, nihil habetis, ut nec mihi aliud arrogo. At quorsum Hospitalitatem comendandam suscepi, Viri humanissimi quū re penitus introspecta, nemo mortalium, uel Hospes, uel Peregrinus dici debeat. Omnes enim eiusdem sumus patriæ, nec exul, aut peregrinus quisquam dicendus est. Proinde extraneū uel ignotum recipiens, nō Hospitem, sed Conciuem recipere merito dici debet, ut pulchre Plutarchus de exilio. Patriam inquit opinaris? cum natura nobis patriam nullam dederit, sicut nec domum, nec agrum, nec fabrilem, nec medicorum officinam, ut Ariston ait. Sed hæc & cætera id genus prout quisq; incolit, illisq; utitur, subinde illius fiunt, uel nominantur potius, & dicuntur. Homo enim, ut Plato ait, Planta est quædam non terræ infixæ, nec immobilis, sed & cælestis, & ad cælum ipsum inuersa. Cuius corpus uelut è sua radice illud sistente, & firmante rectum manet. hinc Hercules:

Argiuus an Thebanus haud unam curo iactare,
Græcia omnis mihi, patria est.

Longe tamen rectius Socrates, qui se nec Atheniensem nec Græcum, sed Ciuem mundanum esse dixit, ut puta si quis Rhodius uel Corinthius dici uelit. Neq; enim Sunio, uel Thenaro, uel Serannijs se inclusit.

Vides ut hunc immensus Aether arduus
Coercet orbem ulnis undiq; mollibus.

Hi patriæ nostræ termini sunt in quibus nec exul, nec Hospes nec peregrinus ullus est, ubi idē Ignis, Aër & Aqua, ijdem Principes, Rectores & Præsti-

B 3 des.

E N C O M I V M

des, Sol, Luna, Lucifer, Eadem quoq; leges, omnibus uno ordine, ab uno eodemq; Principe latae, eadem Solstitia & Equinoctia, Plaiades, Arcturus, tempora sementis, & plantarum omnium. Vnus autem Rex & Princeps Deus est, principium, medium ac finem tenens. qui uia recta peragit, & secundum naturam cuncta circuit, haecenus Plutarchus.

Nunc quia satis abundeque demonstratum esse putamus, Viri prudentissimi, excipi & benigne haberi, & posse, & debere, exteros, & peregrinos (si non hac Socratica patrie descriptione admissa, illos Conciues appellari maluieritis, uel Fratres potius iuxta Dominicae orationis doctrinam, non est cur quisquam deprecari debeat, (ut nec hoc mei instituti est) eorundem expulsionem uel ablegationem. HOSPITALITATEM hoc est, Peregrinorum exceptionem benignam, laudandam solummodo suscepimus. Hoc interim aperte profitentes, pro illa tam religiosa peregrinorum exceptione, Humanitati uestrae, & quibuslibet alijs, huius Almae Hospitalitatis indubitatis cultoribus non solum deberi gratiarum actiones immortales praemium mundanum, sed etiam illud albis equis praecurrentem mercedem diuinam, caelestem illam coronam, Regnum inquam illud aeternum Symbolon argumenti nostri S. P. Q. C. quartam coronam optime iure demeritam, pro palma & brauio in certamine Hospitalitatis, porrigens, & uestra, prophana trium coronarum insignia, sacra eademque caelesti corona decorans & complectens. His bene ualete, Clarissimi, Grauissimi, Prudentissimi atque Humanissimi uiri. Vere P. C. uerae Roma, Coloniae, Condecens, Generosorum, Illustrium, Nobilium Hospitalium, tutissimum honorandorum Mercatorum lectum, exoptatum miserorum solacium & sacrosanctum afflictorum refugium.

Hoc Coronidis loco non abs re adijciendum putauit Viri humanissimi, Hospitalitatem his solum de causis a me laudatam iri, in primis ne huic uirtuti praestantissima, Encomium, si non omni numero absolutum saltem plausibile, meliori uena, altiori que iudicio tacente, non denegaretur, ab homunculo, si non docto, saltem non ingrato. Secundo ut Sacrosanctam hanc Hospitalitatem

HOSPITALITATIS.

tem, illibate, religioſeꝫ; colentes debitum honorem non perdant. Poſtremo gratitudinis ergo. Vt ſit ſcilicet hæc opella, a V. H. recepti Hoſpitaliſ tatis beneficij non ingrata commemoratio. Quibus iterum bene Valet, S. P. Q. C.

Humanitatum veſtrarum


obſequentiſſimus A. A.


Ciuis Socraticus.

M. IOHAN. POLLET INSVLENSIS.

Ad Hoſpites in Encomium Auctoris.

Quas nũc Aduenæ et Hoſpites, agetis	Propenſoꝫ; animo quid offeretis?
Grates V Veruenio, ſauore quali	Acceptum omne quidem remunerari
Ipfum, dicite, proſequeminiſ aut qua	Debet obſequium. tacetis? aures
Tanti laude uiri benignitatem	Sermoni euge meo adplicate, dicam,
Extolletis opus cedroꝫ; dignum?	Deuoti unanimis Deum precemur,
Quo uultu excipiendũ id æſtimatiſ?	Vt uita incolumi diu ſuperſtes
Nõ tantum hoc celebrem facit libello	Cæleſtiꝫ; anima Hoſpitalitate
Commēdatꝫ; piam Hoſpitalitatē, aſt	Eius poſt cineres fruatur: Illi
Hortatur quoꝫ; quolibet profaniſ	Qui contemnit opes, Deoꝫ; adherēs
Exempliſꝫ; ſacriſ ſolerte cura	Intente inuigilat ſuæ ſaluti.
Amplecti officiũ Hoſpitalitatis.	Nulla hiſ, credite, talibuſꝫ; uotiſ
Ergo pro meritiſ ſui laboriſ	Eſt penſatio gratior futura.







Orat
+ a

78